

cordis mundatione sollicitus, erga impugnationem vitii ejuslibet intentionem suam mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quandam horrorem, et custodiam similem non habere. CASSIAN. *Col.* 5. c. XIV.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Non male Seneca: Videamus, ait, quid sit, quod nos maxime concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent. Hic vult nobilitati suæ, hic fame parci, etc. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet, quid in se imbecillum sit, ut id maxime protegas. SEN. *l. X. de Ira*, c. III.

Et alibi: Initium salutis est notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus: Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo, quantum potes, te ipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris, aliquando te offende. Idem, ep. XXVIII, *ad Luc.*

Et iterum: Quid autem tecum loquaris? Quod homines de aliis libentissime dicunt, de te apud te male existima. Assuesce et dicere verum, et audire, præsertim a te ipso. Id autem maxime tracta, quod esse infirmissimum senties. Idem, ep. LXXVIII.

Apud Ægyptios Thebas Memnonis statua videbatur e nigro lapide ad ortum solis conversa, quæ imberbem adolescentem referebat, ambabus manibus sic sedi innitentem, ut surgere velle videretur; sed et os sic conformatum habentem, ut jamjam locuturus crederetur; huic statuae similes sunt, qui conscientiam examinant, sed absque serio dolore et fructu. DREX. *in Trism.* l. I. c. VIII. §. 12.

Ruth Moabitibus collegit in agro usque ad vesperam, et quæ collegerat, virga cædens et exentiens, invenit hordei tres modios. RUTH. c. II, 17. Idem a nobis per examen faciendum. Quid enim est frumentum virga cædere, inquit S. Gregorius, nisi rectitudine iudicii a vitiorum paleis virtutum grana separare?

NECESSITAS. — Hoc nos pessimos facit, inquit Seneca, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, et id raro; quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit. SEN. ep. LXXXV.

Ephratai a Galaaditis interrogati, qui essent, et vocem Schibboleth, hoc est, quia granis plena, proferre jussi, quia Schibboleth, id est, culmus grano vacuus, pro Schibboleth dixerunt, pro hostibus agniti et jugulati sunt. Idem multis in iudicio extremo eveniet. JUD. XII, 6.

## AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Viridario*, Verb. Conscientiæ Examen.

Alphonsus Rodriguez, p. 4. tr. 7.

Jeremias Drexelius, *in Trimegistro*, l. I.

Jacobus Alvarez, *de Adepti. Virt.* l. III, p. 5, sect. II, c. VIII et seq.

Matthias Faber, con. 6. *in Dom. ix, post. Pent.*

Antonius Daurolius, *in Catech. histor.* c. v, tit. 49.

Philippus D'Outreman, *in Paedag. Christiano*, p. 2, c. XIII.

## EXEMPLUM.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est factum aliquod ad imitationem aliis propositum; si enim in occulto et absque arbitro aliquid fiat, aut admiratione potius, quam imitatione sit dignum, exemplum dici non potest.

DIVISIO. — Dividitur in *Bonum et Malum*; illud ad bonas actiones imitandas alliecit; hoc ad peccata perpetranda incitat, et plerumque scandalum a doctoribus vocatur.

ACTUS. — Primus est, *solo facto ad imitationem allicere*; quo modo seniores coram junioribus peccantes, exemplum malum dare dicuntur.

Secundus, *etiam verbis ad imitationem allicere*; quo modo Abimelech suis exemplum dedit, dicens: Quod me vidistis facere, cito facite. JUD. IX, 84.

Tertius, *etiam minis vel premiis ad imitationem allicere*; quo modo Tyranni olim Christianos ad fidem deserendam impulerunt.

## EX. S. SCRIPTURÆ.

QUALITAS. — Sint lumbi vestri acincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. LUC. XII, 35.

Nemo accendit lucernam, et ponit eam in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. IB. c. XI, 33.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad edificationem. ROM. XV, 2.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. MATTH. V, 16.

In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile. TIR. 2, 7.

Exemplum esto fidelium in verbo et conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. I TIM. IV, 12.

Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. JAC. III, 13.

NECESSITAS. — Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrahet de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. I PETR. II, 12.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. II COR. VI, 3.

UTILITAS. — Quod, cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. PROV. XXIV, 32.

Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones; quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. II COR. IX, 2.

Memento Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum inuentes exitum conversationis, imitami fidem. HEBR. XIII, 7.

Exemplum accipite, fratres, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Suffrentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator. JACOB. V, 10.

EXEMPLUM MALUM. — Vae homini illi, per quem scandalum venit. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. MATTH. XVIII, 6 et 7.

Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. I COR. VIII, 12.

Noli cibo tuo perdere illum, pro dio

Christus mortuus est. Noli destruerere opus Dei. ROM. XIV, 15 et 20.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. IB. 13.

## EX. SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Domus Episcopi et conversatio quasi in speculo posita, Magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. S. HIER. *in epist. ad Heliod.*

Qui in occulto bene vivit, sed alieno profectu minime proficit, carbo est; qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia sibi ardet, et aliis luceat. S. GREG. hom. v, *sup. Ezech.*

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum; et tamen per intentionem, qua soli Deo placere querimus, semper optemus secretum. Idem, hom. XI.

Nullum ego consilium melius arbitror quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei neque verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Idem, l. X, *Mor.*

Noveris hujus trinitatis sacramentum in nullo frustratum a te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas orationum suffragio. S. BERN. *in Epist.*

Pulcherrimus ordo est et saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes, et ex te dicas, qualiter oporteat aliis moderari. Idem, *in ep. LXXII.*

Propterea Sanctorum vitam et conversationem in divinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut discentes, quod, licet ejusdem fuerint nature, virtutibus tamen studerint, ne simus nos ignavi, et desides in iidem exercitiis. S. CHRYS. s. 11. *sup. Gen.*

Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis os, mens manusque concordent. S. HIER. *epist. ad Nepot.*

Debemus pensare, quod a Domino Sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis: Vos estis sal terræ, si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus, ut, quisquoque Saertjungitur, quasi e salis tactu

eternæ vitæ sapore condiaur. S. GREG. hom. XVII in *Luc.*

Externæ dignitates merito ex signis extrinsecis circumpositis manifestæ sunt, nostras autem ab anima notas esse decet. Fidelem enim non ex solo munere videri oportet, sed ex vitæ novitate. S. CHRYS. hom. XXIII, ad *Pop.*

Qui profitentur se Christi esse, non modo ex iis, quæ dicunt, sed et ex iis, quæ faciunt, cognoscantur; ex fructu enim arbor dignoscitur. Præstat enim esse et tacere, quam loqui, et non esse, non in sermone Regnum Dei, sed in virtute. S. IER. in ep. 14 ad *Eph.*

Hoc autem, quod discipulo Paulus ait: «Præcipe hæc, et doce cum omni imperio,» non dominationem potentie, sed auctoritatem suadet vitæ, cum imperio quippe doceat, quod prius agit, quam dicatur; nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. S. GREG. I. XXI, *Mor.* c. VII.

Doctor dicto factoque, magister verus, quod verbo adstruit, demonstrat exemplo; magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas constat ex vitæ, docenda faciens, obedientem perficit auditorem; docere factis, sola est norma doctrinæ, doctrina in dictis scientia est, in factis virtus; scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti, illa Divina est, non humana, Evangelista probante cum dicit: «Quia cepit Jesus facere, et docere.» S. PETRUS CHRYS. ser. 107.

Vos estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona etc. *Luc. estis*, et sermone igitur et opere lucere debetis; magis autem operando, quam loquendo proficitis, quia major est splendor operis, quam sermonis, unde non ait: Ut audientes bonum vestrum sermonem glorificent Patrem. Sed quid ait? *Ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum.* EUSEB. GALLIC. *Hom. in c. v. Matth.*

Sermo actione destitutus, non ultra aurem grassatur; qui autem ab actione animatus est, ut qui acris et efficax sit, alte penetrat, animumque attingit. S. ISID. *PELUS.* III, ep. 202.

Vita nostra jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui. S. ATHAN. *exhort. ad Mon.*

Cum fueris fratrum institutor et rector, eos potissimum cura cordis severitate, et

visceribus misericordiæ instrue, eos verbo et exemplo, quæ agenda sunt, edocens, atque exemplo magis et opere, cum magis operentur exempla, et fortius moveant. S. DONOTHEUS, *Doctrin.* 17.

Optime per hanc domesticam avem (gallum) Prædicatores significantur, simul et docentur, quomodo docere et recte debeant, et efficaciter queant, nimirum si prius alas exeant, quam cantent, et ante se in sanctis operibus exerceant, quam sanctitatem verbis commendat. S. GREG. I. III, *Mor.* c. 4 et 5.

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua soli Deo placere querimus, semper optemus secretum. Idem, hom. XI.

Exemplo bonorum, non malorum debemus duci. S. GREG. hom. I.

NECESSITAS. — Debet prius dominari sibi, qui causa constitutus est iudex alienæ. Rideliculus est, aspiciere foris in cathedra residentem, et intus in passionum fœtoribus sepultum. S. LAUR. JUST. de *Christi Agon.* c. 12, § v.

Nescio, qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus Sanctis partem in aeterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non aequiescimus. S. AUG. s. 61, de *Temp.*

Habere non possunt firmitatem quæ doceas nisi ea prior feceris; quia hominum natura proclivis in vitia, videri vult non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare. LACTANT. de *Vera Patient.* I. IV.

Homines malunt exempla quam verba; quia loqui facile est, præstare difficile. IDEM.

Si manum non contineas, neque impudicam coereas linguam, qua ratione admirabitur is, qui gentilis est, nostræ fidei dogmata; neque enim ex verbis dogmata, verum ex ipsis rebus atque vita, gentiles iudicare consueverunt. S. CHRYS. hom. IV, ad *Tit.*

Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita; saties auditores possunt proficere, si a Doctoribus, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. S. PROSP. hom. I, de *Vita Contemplat.* c. XXIII.

Nil frigidius Doctore, qui verbis dumtaxat philosophatur: neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis, et hypocritæ, eosque Apos-

toli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis; quin potius neque verbis quidem erat opus, cum clamarent opera. S. CHRYS. hom. 13, in *Acta.*

Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planetum moveat. Vere turturem exhibes, si genere doceas; et si persuadere vis, gemendo id magis, quam declamando studeas, oportebit. Exemplum sane tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius illud tibi cognoscere persuasisse. Validior operis, quam oris vox. (S. BERN. s. LIX, in *Cant.*) Fac ut loqueris, et non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi libera probro. Non jam pertinebit ad te, si quis dicat: «Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere» (MATTH. 23. 4.); sed neque illud verearis, oportet: «Tu qui alios doces te ipsum non doces?» ROM. 2. 21.

Claras suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt; alioqui expedit non videri, quam cunctorum irrisione signari. Omnis ergo, qui gratiarum celsa petimus, vitorum humilia deseramus; sit in nobis frons libera, ut aliorum possimus emendare peccata; æquat crimen omne, quod inquinat, et ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat. CASSIOD. I. V, *epist.*

Nemo se circumveniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodo vivat, et sicut frequenter suggesti, quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ edificaverit, cum tantis et pro tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet; et quantiscumque exemplum malæ conversationis, etiamsi illi eum non sequantur, præbuit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum. S. ARG. s. CLXIII.

Omnis doctrina generatio quedam est, ut, quemadmodum homines non generantur nisi in perfectione ætatis et virium; ita nec filios spirituales, nisi a perfectione virtutum progigni contingat. S. CLEM. ALEX. I. V, *strom.*

Exempla bonæ vitæ a Christo et ab ejus acibus assumere debemus. S. BERN. *super Cant.* s. XXIV.

UTILITAS. — Multo fidelior et certior est doctrina operum, quam sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, et cum non videtur,

docere potest; et alios quidem, qui illum vident, alios vero, qui de illo audiunt; et multa fructur Dei gratia non tantum propter se, sed et propter alios, qui illum vident, et incitentur, ut glorificent Dominum; talis per mille linguas, et multo plures, gratias refert et laudes Deo. S. CHRYS. hom. XXII, ad *Pop.*

Cito sedet animis, quod docetur exemplis. S. VALER. *Ep.* hom. XVII.

Est insitum bonis, ut castum pudicus, sapientem prudens, misericors liberalem affectu pio diligit, et virtutes suas in aliis amet. In perisque iusti aspectus, admonitio correctionis est, perfectioribus lætitia est. S. AMBR. *sup. Beati immaculati.*

Volantia animalia se viscissim feriunt aliis suis, quia Sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur; ala enim sua me percussit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit, et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum, quod imitatur, ostendo. S. GREG. XXIV, *Moral.*

Sunt nonnulli, quos ad amorem cœlestis Patriæ plus exempla, quam prædicamenta succendunt. Idem, I. I, *Dial.*

Fit plerumque in audientis animo duplex adiutorium in exemplis Patrum, quia amore venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, et, si se aliquid esse existimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur. S. LAUR. JUST. I. de *Conflict. inter.*

Dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suades, illud tibi prius cognoscere persuasisse; validior operis, quam oris vox est. Fac, ut loqueris. S. BERNARD. ser. LIX in *Cantic.* Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. S. GREG. p. 2, *Pastor.* I. III.

Non difficile æstimatur, quod jam factum conspiciatur.

Tonitru erat ejus oratio, quia vita erat fulgur; unus namque splendor alterius incendium est. S. NAZIAN. de *S. Basilio.*

Apud nos etiam sepulchrum S. Eustachii, Antiocheni Episcopi, est, et non in Thracia tantum, ubi mortuus est et sepultus. Monumenta enim Sanctorum non loculi solum sunt et thecæ, et columnæ ac littère; sed res præclare gestæ, ac fidei zelus, et sana apud Deum conscientia; siquidem omni columna splendidior hæc Ecclesia Martyri est erecta, quæ litteras habet non mutas, sed

quæ rebus ipsis buccina clarius memoriam ejus prædicant, ac celebritatem, eorumque, qui adsunt, unusquisque Sancti illius est sepulchrum, sepulchrum animatum atque spirituale. Nam si cujusquam vestrum, qui adestis, conscientiam explicuero, Sanctum istum intus in mente vestra reperiam diversantem. S. CHRYS. tr. IV, in S. Eustach.

Ibi (in Religione) alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientia movetur; ibi invenit, quos timet; ibi habet, quos diligit, et sic ex omnibus proficit; ibi alterius correptio ejus fit admonitio; ibi alienum periculum proprium est speculum; ibi homo portat, et portatur. TH. KEM. ser. II, ad Novit.

Quemadmodum justus lætificat cor innocentium; cum videtur; ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. S. AMBR. in Ps. CXVIII, s. 40.

Non enim coli voces emittentes, inquit S. Chrysostomus, Deum glorificant, sed alios per aspectum ad hoc inducentes, et tamen ipsi dicuntur cœli gloriam enarrare; sic et vitam præferentes admirabilem, licet taceant, Deum glorificant, cum alii propter eos ipsum glorificent. Non enim tam ex cœlo redditur admirabilis, quam ex vita pura. Nam et cœlo longe melior homo, et potest ejus ornatus splendidiorem animam possidere. S. CHRYS. hom. XXV, ad Pop.

Quia incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abjectione, infirmitate, pulvere et cinere, futuros homines æquales Angelis Dei, non solum Scripturam cum hominibus fecit, ut crederent, sed etiam fidei suæ praevidentem unicum Filium suum, ut qua nos via perducaturus esset ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum Filium suum, et ostenderet et præberet. Parum enim erat Deo, ut Filium suum faceret demonstratorem viæ, cum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantes per se. S. AUG. in Ps. 109.

Verè exemplum, quam verbum, homines magis movet; et propterea Spiritus Sanctus, hujus artis traditor et inventor, sciens quantum ad bene vivendum proficiat imitatio, fere per totam Scripturam varia Sanctorum exempla passim sparsit, et fidelibus imitanda proposuit. S. THOM. VILLAN, conc. II, Dom. II, Quadr.

Scriptura Sacra narrat gesta Sanctorum, et ad imitationem provocat corda infirmorum, et dum eorum victicia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra corda confirmat, fitque, ut minus mens inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos vidit. S. GREG. I. II, Mor. c. I.

Sermo vivus et efficax exemplum est, operis facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstratur factibile, quod suadetur. S. BERN. in s. de S. Bened.

Quamvis disertus Orator facundia sua me doceat, id tamen, quod utile est, melius disco exemplo Sanctorum quam assertionem verborum. Citius mihi persuadent oculi, quod cernunt, quam auris potest insinuare, quod præterit. Auditui enim cilo irrepit obliquo, oculorum autem historia semper inspicitur. S. AMBR. ser. XXIII, de SS.

ÆQUITAS. — Licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petreæ arce fundatos, Dominus noster Jesus cum omnibus redemit, et B. Apostolus Petrus præ omnibus erudit. S. LEO, ser. II, in fest. Assump.

EXEMPLUM MALUM. — Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. S. AUG. de Past.

Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia ordinis honoratur. S. GREG. in Pastor.

Non tibi videtur graviorem ab eo Christus sustinere persecutionem, quam suggestionem maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione pervertit animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem suum fudit? S. BERN. in serm.

Si non haberis opera, tantum loquens non profuit sed et potius læsisti. Melius est tacere. Quare? Opus mihi reddis impossibile. Cogito namque, quod, si, tu tanta discesseris non efficis, multo magis ego venia dignus sum. S. CHRYS. hom. XVIII, ad Pop.

Simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens. Monstruosa res! Gradus summus, et animus inuis; sedes prima, et vita infima; lingua

magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis et actus levis. S. BERN. lib. II, de Consid.

Cum majores voluptati deserunt, minoribus lascivie frenant. S. GREG. in Pastor.

Exemplum vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si improbum, ut non sit imitandum, aut majus aut minus, quam res postulat. Ib. ex Cicer. 2 de Rhetor.

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Intuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit et religio, et videbis, quam verbum modicum sit, et pene nihil, quod nos agimus. Lib. I, c. XVIII, § 1.

Ubique profectum tuum capias, ut, si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris; si quid reprehensibile consideraveris, cave, ne idem facias. L. I, c. XXV, § 3.

Dati sunt (Patres) in exemplum omnibus Religiosis, et plus provocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum. L. I, c. XVIII, § 4.

Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ, et liber sanctæ doctrinæ esset. L. II, c. IV § 1.

Etsi onerosa sit præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritiora, atque exemplo tuo et Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior et clarior. L. III, c. XVIII, § 2.

Vita tua via nostra. Nisi tu nos præcessisses et docuisses, quis sequeretur? Heu, quot longe retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent! Ib. § 3.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus, teste S. Basilio, ideo naturam humanam suscepit, ut in se velut tabula quadam veram nobis pietatem depingeret, eamque omnibus ante oculos statutam pro viribus imitandam cœu archetypum proponeret. Nec enim alia de causa corpus nostrum gessit, nisi ut, quoad fieri possit, ad imitanda vitæ ipsiusque nos conformemus. S. BASIL. c. II, in Const. Monast.

De B. Virgine sic loquitur S. Ambrosius: Sit vobis tantum in imagine descripta vita B. Mariæ, in qua velut in speculo re-

fulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere debeatis, ostendunt. S. AMBR. lib. II de Virg.

S. Augustinus de seipso scribit: Exemplum servorum tuorum, quos de nigris ludos et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, et absquebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebant nos valde. S. AUG. l. I, Conf. c. II.

S. Franciscus cum Fratre suo, extens ut concionaretur, cum totam civitatem circumisset, denique domum rediit, dicens se exemplo concionatum esse. Vita.

S. Dominicus, sciens homines magis exemplum, quam verbum moveri, incredulorum familiares, dominasque nobiles adivit, ibique in summa vitæ austeritate et sanctitate cum socio vixit; ut exemplo, et sancta quadam, ut ipse aiebat, hypocriti eos ad veram fidem alliceret. SCRIVAS, in vita, 4, Aug.

S. Macarius, cum alicubi mire sanctitatis Monachos vidisset, domum reversus dixit: Vidi Monachos, sed non sum ego Monachus.

S. Th. Aquinas acta Sanctorum Patrum assidue in manibus et pectore ferebat, ut ex eorum recordatione ad imitationem accenderetur. RORR. p. I.

S. Cyprinus dicere solitus est: Nos Philosophi non verbis, sed factis, sumus; non loquimur magna, sed vivimus quasi servi et cultores Dei. S. CYPR. de Bono Pat. s. 3.

S. Franciscus suis hoc documentum dedit: Consideremus, Fratres, vocationem nostram, qua vocavit nos misericors Deus, non tantum pro nostra, sed etiam pro multorum salute, ut eamus per mundum exhortando omnes, plus exemplo, quam verbo. Hinc Lyranus ipsum verba illa Cantici S. Annæ ita declarare solitum fuisse scribit: « Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est; » sterilem dicebat fratrem simplicem, officium prædicandi non habentem, per quem generantur filii, id est, Ecclesia Dei. I. Cor. 4. « In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui; » talis frater simplex exemplari vita plus proficit sibi et aliis, quam prædicator verborum; et idem dicendum de aliis simplicibus personis, quæ sunt vitæ exemplaris. S. FRANC. in opus. Coll. 2.

Tertullianus olim Gentilibus, Christianos, quod parum loquerentur, accensantibus, his verbis respondit: Etsi eloquium quiescat,

ipse habitus clamat. TERTIUS. *de Pall. c. vi.*  
S. Bernardus de S. Malachia Episcopo dicit: Ipse regula erat fratrum, legebant in ejus vita, quomodo conversarentur. S. BERN. *de Vita S. Malach.*

Cum populus Israeliticus Jordanis alveum transire deberet, ut terram promissionis ingrederetur, omnium primi transierunt sacerdotes, quos reliquus populus secutus est; ita ex Dei voluntate, præcipiente Josue, merito sacerdotes terrorem populo excutere debuerunt, ne undis irruentibus suffocarentur. Jos. c. iv.

UTILITAS. — Quando in Africa cum tanto integritatis veræ fidei dispendio Donatistarum persecutio effervescebat, jamque Donatus Episcopus innumeros pervertisset, eorumque animos suis imbuisset erroribus, Constans Imperator duos viros sanctissimæ vite, summaque pietate præditos, Paulum videlicet et Macarium, velut Legatos suos illic misit, simulque cum illis copiosissimas illic elemosynas ablegavit, sub prætextu eorum paupertatem sublevandi, revera tamen ut populum hoc modo liberalitate sua beneficiis affectum ad unionem cum Ecclesia Catholica ineamdem alliceret et provocaret; accidit autem, quod, dum Legati Imperatoris jussa exequerentur, Donatus se illis in verecunde opposuerit, Principis illius famæ graviter detrahendo, et velut alter Judas contra ejusdem liberalitatem fremendo, et murmurando; inter cætera vero suis præcepit, ne quisquam pecuniam ab Imperatore Catholico transmissam recipere presumeret. At vero quid tandem evenit? Omnino videlicet oppositum illius, quod Donatus machinabatur irritum erat; populus namque oculis, magis autem cor suum, aperiens ad videndam et considerandam Constantis pietatem: Impossibile esse dicebat, quin fides, quam Imperator profitebatur, verissima et indubitata esset, utpote que cum tanta compassione et charitate conjuncta erat; e contra vero Donatistarum sectam falsam, atque hæreticam esse dixerunt, utpote qui ex operibus misericordiæ, quæ a sanctis viris illis profusis manibus fiebant, scandalizabantur et pervertebantur. BARON. *Ann.* 348, n. 20.

S. Bernardus, cum Monachi sui illi dicerent, se silentium servando nullum aliis sodalibus suis voce et ore præstare posse emolumentum, respondit: Non deerit certe, quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit; nullum ergo consilium melius

arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei, non verbo, neque lingua, sed opere et virtute. S. BERN. *s. 2 de Adventu.*

Laurentius Sarius de S. Luciano Martyre refert, quod multos infideles per suam vitam modestiam, exterioremque morum compositionem ad fidei nostræ veritatem agnoscendam induxerit; unde Maximianus Imperator pro tribunali sedens, ut illum ad martyrium condemnaret, timensque, ne id ipsum sibi eveniret ipsum procul ab oculis et conspectu suo collocari præcepit. SARIUS, *7 Januarii.*

In vita S. Abrahami Eremitæ legitur, ipsum quidem omnibus viribus in id conmissum fuisse, ut paganos nonnullos obstinatos ad veri Dei notitiam perduceret, verumtamen multo tempore in vanum laborasse; postquam vero multas ab iis recepisset injurias, verbera, et contumelias innumeras, cum aspera omnia pateretur, magis ac magis amor ejus et charitas augebatur. Unde factum est, quod die quadam simul congregati, hos inter se sermones miscuerunt: Cernitis tam magnam patientiam viri, et ineffabilem circa nos charitatem, quomodo in tantis tribulationibus, quas ei intulimus, nequam ex hoc loco discesserit, neque aversus est a nobis, sed cum gaudio magno sustinuit universa? Unde nisi esset (ut asserit) Deus verus, quem prædicat, et Regnum, et Paradisus, ultio quoque malorum, non hanc tribulationem pateretur inaniter. Venite itaque, credamus in Deum, quem prædicat! Pariterque omnes in Ecclesiam pergunt, clamantes atque dicentes: Gloria Deo celestis, qui misit famulum suum, ut nos ab errore salvaret. *Vita, l. p. 1. l. c. vi.*

In annalibus Capucinorum scribitur, quod cum Angelus de Joyeuse (qui Dux, Par et Marescallus Franciæ fuit) Provincialis Parisiensis esset, et nonnullos Flandriæ conventum visitaret, atque circa vesperam in castellum quoddam, ejus dominus hæreticus erat, pervenisset, ab eodem domino charitativum propter Deum hospitium, petierit; qui illum in stabulum quoddam duci jussit, quod tecti expers, et semidirutum erat, in quo nocte illa magna cum lætitia commoratus fuit; diluculo vero sequenti, cum, ab inde recedens, in itinere quemdam dieti Baronis amicum obvium haberet, ab illo interrogatus, quomodo a dicto Barone tractatus

fuisset, respondit: Optime, et quidem valde te obtestor, ut magnas illi nomine meo pro concessio hospitio gratias agas. Quod cum ille apud præfatum dominum exequeretur, isque, quinam hi Capucini fuerint, ab illo requisivisset, mox ut unum illorum Patrem de Joyeuse fuisse intellexit, concenso equo, celerissimo cursu ipsum est insecutus, cumque ad illum venisset, ad ejus pedes prostratus veniam ab eo petiit; cumque sanctus ille vir Baronem hunc ad hæresim, quam profitebatur, ejurandum hortaretur, tantum in illo visum a se dicti servi Dei humilitatis, mortificationis et patientiæ exemplum prævaluit, ut paucis ab inde diebus ad Orthodoxam fuerit fidem conversus. Quodque in hoc hæretico prædicationes et doctrinæ Catholicorum ad errores suos delectandos facere non potuerunt, id tandem obtinuit virtus tanta cum adificatione, et per actum adeo heroicum ab hoc perfecto Religioso exercitata. *Annal. Capucini, ann. 1318, n. 88.*

S. Philippus Neri, cum adhuc sæcularis existens, post absoluta studia sua vitæ spirituali totaliter deditus esset, coram Confraternitate SS. Trinitatis (quæ ipsum suum Fundatorem habere gloriatur) ante Santiss. Sacramentum sermonem faciens, in unico tantum sermone triginta juvenes licentiosos et dissolutos convertit; notatque historia, conversiones istas non faciendiæ, doctrinæ, et talenti sui, sed potius magnæ æstimationis, in qua ipsum ob sanctam ejus vitam habebat, efficacia effectas fuisse; multi, qui eo ad ipsum audiendum accesserant, ut eum deriderent, videntes hominem laicum de materiis sacris et spiritualibus sermionem, sermonis ejus efficacia capti, conversi fuerunt. *Vita, l. I, c. viii, n. 3.*

Convallio, Rege piissimo, in Scotia regnante, religio Christiana mirandum in modum floruit, adeo ut S. Columbanus de industria ex Hibernia, eo se contulerit, ut de incolarum sanctitate gaudere posset; cumque inde reversus interrogaretur, quemnam ibi vidisset miracula? respondit: Vidi unum instar omnium, Regem videlicet Convallium, qui in mediis deliciis et peccatorum incitamentis cum Monachis et Episcopis de sanctimonia contendit; qua de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de Rege hiscere sinistri quidpiam audeant. HERON BOER. *Hist. Scot. l. IX.*

Celebre est illud Ebbe Abbatissæ facinus, quæ ne periclitantem per inimicorum incur-

siones castitatem contaminaret, labia sibi præcidit; ejus generosi facinoris exemplum cætera moniales consecutantes, palmam sibi acquisivere Martyrii, simulque illibatum virginitatis lilium custodiere. MANSI, *dis. vi, n. 6.*

De Alphonso Rodriguez, Coadjutore e Soc. Jesu, scribitur, quod solo aspectu ejus, qui cum intuebantur, componebantur et movebantur ad devotionem, et desiderium ejus imitationis, eo quod fervor interior illius, per omnia ejus membra et sensus, tamquam vapor quidam effunderetur, et fumus ex igne incluso. Porro, ut alibi in ejus vita additur, cum tanta modestia Missæ ministrabat, ut circumstantes, eo viso, componerentur, et ipsi Sacerdotes, tantum sciendo illum assistere, accenderentur fervore et extraordinaria devotione. Ideo multi seculares utriusque sexus procurabant adesse Missæ, cui ministrabat Alphonus, quia experiebantur in se, ejus aspectu solo, singulari valde in corde fervore excitari. *Vita, l. I, c. xi.*

Duo antici Theodosii, ex lecta S. Antonii vita usque adeo immutati sunt, ut sponsas, quas ducere decreverant, reliquerint, et Religionem fuerint ingressi. JUL. FAT. *de Mort. c. xviii.*

S. Afra, cum apud eam adhuc ethnicam S. Narcissus divertisset, usque adeo exemplis ab eo datis adificata est, ut et baptizari petierit, et paulo post fidem gloriose martyrio propugnaret. SARIUS, *7 Aug.*

Quidam Prælati secularis, eo quod suis subditis exemplo vitæ per viginti annos summa diligentia præluxisset, in morte tanta luminis coruscatione circumdatus est, ut per unam leucam et amplius ut clarissima dies videretur. *Spec. Ex. dist. v, ex. 12.*

Reynerius Marchio, homo impudicus, dicere solebat: Nec Imperator, nec alius homo tantum mihi potest metum inungere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante ejus quippe vultum neque, quid dicam, scio, neque, quibus me defendere valeam, invenio. SARIUS, *in Vita S. Romualdi.*

Quidam Franciscanus interrogatus, cur ipsius conciones, licet facundissime, non eandem efficaciam haberent, ac S. Bernardini conciones? respondit, se comparari posse carboni calido, sed non ignito; S. Bernardinum vero ignito carboni similem esse ob vitæ sanctitatem; unde mirum videri non debere, si non perinde sue, ac S. Bernardini, conciones accenderent. Id. *in Vita S. Bernardini.*

Dum Ludovicus Granatensis noctu acriter in se flagellis animadvertit, duo lascivi adolescenter, qui casu prope ipsius cubiculum præterierant, adeo immutati sunt, ut et a meditato scelere abstinuerint, et sequenti die ad confessionem ei faciendam accurrerint. P. JOAN. RHO. l. VII, c. v, § 22.

Quidam latro a S. Abbate ad Monasterium ductus, cum ei a Fratre quodam omnia necessaria liberaliter suppedientur, ipse vero postea coram eo panem in terra et aquam sumeret, adeo tanto exemplo permotus est, ut ad pedes Abbatis se prostraverit, et in poenitentia postea susceptus alios omnes superaverit. *Spec. Eccl. dist. IX, ex. 46.*

Joannes Mendocæ servus, e Mahometana superstitione cum nullis promissis ad fidem Catholicam perducere potuisset, solo exemplo domini sui Soc. Jesu inuentus permotus, convertit sese. *Hist. Soc. p. II, l. I, n. 42.*

Anno 1552, in Jolio præcipua civitate Morotia, quæ est insularum una, quæ Moro nomine comprehenduntur, magnam stragem fides passa est. Illi enim cives a S. Francisco Xaverio conversi, qui sua manu eorum viginti quinque millia baptizavit, et a P. Joanne Beira sollicitè exculti, subornantibus Saracenis eversi sunt. Cum enim in ea urbe Magistratum unus palam fidem abnegasset, eodem die omnes incolæ sunt ejus exemplum secuti, ita ut, ubi mane erant triginta millia Christianorum, vespere ne unus quidem superesset. Eas vires exemplum in majoribus habet. BARTOLI. *Asiae t. I, l. VI.*

Ad prædicationem Jonæ Prophætæ primus poenitentiam egit Rex Ninivæ, qui suo exemplo universum populum ad poenitentiam faciendam induxit, et ab ira Dei liberavit. JOAN. c. III.

Regulus Christi miraculo ac beneficio ad credendum inductus, non solum credidit ipse, sed et domus ejus tota, ejus auctoritate et exemplo commota. JOAN. c. IV.

Pacomius cum gentilis adhuc in Constantini Magni exercitu militaret, annum vigesimum agens, et deficiente victu, fame omnes enecti essent, cum suis appulsi in quoddam Thebarum oppidum. Vespere autem cum cives vidissent eos in satis tuta esse custodia et de eis audissent viri Christiani et misericordes, attulerunt eis omnia, quæ erant ad usum necessaria, et valde magnum eis præbere solatium, cum essent in maxima afflictione. Cum Pacomius vidisset quod

ab eis factum fuerat, et hoc valde esset miratus, didicit ab eis qui una cum eo erant, Christianos erga omnes quidem, præcipue autem erga hospites esse benignos et misericordes. Rogante autem eo, quidnam esset appellatio Christianorum, dicebant: Sunt homines pii et Deum colentes, credentes in nomine Unigeniti Filii Dei Jesu Christi, et omnibus benefacientes, sperant ab eo mercedem remunerationis. Ipsi autem hæc ei dicentibus, mente illuminati, fidem Christianorum admirati, et metu Dei corde inflammatus et spiritu exultans, cum parum secessisset et apud se fuisset, manus suas in cœlum extendit, et dixit: Domine Deus, qui fecisti cœlum et terram, si respiciens respereris humilitatem meam, et mihi tue divinitatis dederis cognitionem, et me liberaveris ex hac afflictione, tibi serviam omnes dies vite mee, et convenienter tuis præceptis vitam instituiam. Cum ergo esset precatus et se Deo pollicitus, uno die postea egressus e custodia cum iis, qui cum ipso erant et navim ingressus, navigavit ex illo oppido. Interea autem dum in aliena regione versaretur, si quando eum carnis voluptates, aut rerum aliquarum mundanarum vexarent cupiditates, valde aversabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Christum fuit professus. BARONIUS, t. III, *Anathemum.*

Cum puer quidam Judæus, qui postea baptizatus Constantini nomen tulit, matrem suam, nescio quo eunte sequebatur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cuius puer secutus exemplum et ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraque tandem Christiana amplexus, ardenti fide prosectus est. Cum puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) invaderet, illum signo crucis repente exanimavit, rursusque postea in vitam revocavit. Hic cum præfecto Monasterii totam vitam suam exponeret, jubet ille proferri crucem, et ab eo salutari; cuius cum beatus iste pedem osculo libaret, tota fronte et brachijs veneranda crux sese in sancti pueri verticem submittens characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam servavit. Dignus ergo baptismatis gratia iudicatus, Sacris Christianis est initiatus, et Constantinus dictus. JACOB. *Gest. de Cruce, l. V, Græcorum c. XLIII; ex Menato Græcorum, 26 Decemb.*

## EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ex lectione vite Christi ac Sanctorum, atque adeo præclaris eorum exemplis commotus, atque ad meliorem vitam conversus est. Ipse vero usque adeo mores suos ad perfectam regulam morum composuit, ut P. Ludovicus Consalvus fassus sit, se nullo tempore lectionis vel orationis tantopere ad amorem Dei incitari, quam eo tempore, quo S. Ignatium aspexisset. PLATUS, l. II, c. XXVI.

S. Franciscus Xaverius in convertendis Ethnicis potissimum vite sanctitate et exemplo utebatur; hinc et ad idem opus socios lectissimos et primarios proferebat, auctoritate sequens Apostolorum, qui, cum audissent, recepissem Samaritanum verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem Apostolorum Principes. Quocirca censebat ad Apostolorum munus delinquentes viros egregia diuque spectata fide, virtute, constantia et sanctitate. Et Dominicæ vineæ operariis prudentiam magis ac sanctitatem, quam scientiam doctrinamque expetebat. Dicebat etiam, quod bonus virtus non pariat, humanas artes haudquam puritatis sine virtute. TRUSELNI. *Vita, l. VI, c. ult.*

S. Franciscus Borgias jussus est a Rege etiam imparatus cathedram ascendere, dicente, sufficere, si nec verbum dicat, sed solo suo exemplo concionetur. RODRIG. p. III, tr. I, *Vita, l. II, c. XVII.*

P. Petrus Faber verba dividebat in verba verborum, verba cogitationum, et verba factorum, ac per hæc exempla intelligebat, quæ cæteris multo essent efficaciora ad persuadendum. LANCIZ. *opusc. 1, n. 384.*

Cum anno 1551, Joannes Ferdinandus Amanguzi ad populum diceret, et præteritis Japonis sputum in os illius projiceret, ipseque sine omni motu, verboque addito, linteum extraheret, faciemque abstergens concionari pergeret, adeo quidam Ethnicus, id spectans, hoc exemplo mutatus est, ut post concionem ad Ferdinandum accurrerit, et in fide instructus omnium primus Amanguzi sit baptizatus. MAFF. l. XIV, *Hist. Ind.*

Panormi, Mahometanus nobilis Collegio donatus, post triennii adhortationes et preces, tandem nulla re magis, quam assiduis Sociorum exemplis ad Catholicam fidem amplectendam adductus est. *Hist. Soc, l. XIII, c. XXI.*

In Brasilia, quidam e nostris a Superiore ad peccatorem quemdam convertendum missus, domi illius aliquando hominem redeuntem operitur; sed dum orditur recta monere: Melius, respondet alter, vas istud sordidum purgares, et aquam cujus nihil est domi afferres. Quod cum utrumque is statim magna cum alacritate fecisset, a fonte cum aqua rediens hominem adeo immutatum invenit, ut in lacrymas solutus, omnem dein vitam suam puerorum Brasiorum ministerio dedicavit. *Ib. t. XI, n. 78.*

Conimbricæ, cum nostri in nullo pretio essent, vererenturque Academicæ ad Patres nostros accedere, jussit P. Simon Rodericus Emanuellem Godinum, nuper in Societatem receptum, cultu, ornatuque discipuli extra Societatem ad tempus esse, suo ut exemplo reliquam juventutem ad confessionem alliceret, eoque cultu annum fere transegit, Simonis haud irrito voto. *Ib. l. III, n. 83.*

Compluti, cum anno 1547, P. Villanova et socii morbo affecti ex misericordia in D. Ortizii ædibus decumberent, et iis famuli jussu domini inservirent, hi adeo exemplo vite et colloquij eorum spiritualibus accensi sunt, ut duo Societatem ingressi sint, alii duo quoscumque redditus suos Societati tradiderint. *Ib. l. VII, n. 84.*

Venetis, anno 1531, Joannes Baptista Elianus, adolescens Hebræus, ductus ad P. Andream Frusium, tum hujus, tum aliorum sociorum, et unius maxime pedes aliorum lavantis exemplo et pietate permotus, Baptissimum suscepit, et in Societatem suscipi petiit. *Ib. l. XI, n. 33.*

Rome, cum Hæreticus adolescens in carcerem inclusus a nullis Theologis ad frugem reduci posset, tandem S. Ignatio traditus, et ab hoc in domum receptus est, ubi blande aliquandiu tractatus, paulo post ultra hæresim abjuravit, catholicam fidem professus est. Rogatus dein, cur, qui ante nulli terrori cessisset, Patris firmes flecti se passus sit? respondit, se ita secum ratiocinatum fuisse, fieri haudquam posse, ut a tam integra, innocente vita, commodisque moribus, tantaque animorum conjunctione et pace, vena ac germana fides abesset. Qualia autem fuerint exempla, quæ viderat, explicat auctor his verbis: Erant tum domi præter sex Professos, duodecim fere alii, qui se nuper cum Societate conjunxerant, et suum quisque munus curabat alacriter. Flagrabant apud eos studia præcæ pietatis, pauperitatis, et

Cruis Christi. Summa erat in obtinendo voluntas, ingens alacritas in obsequiis, mirus in convictu candor animi, simplices mores, compositi ad modestiam vultus, prohibiti indices et cultus interioris, spectaculum superis hominibusque iucundum. Nulla nisi virtutis emulatio, nulla vox querelarum. Mutuis officiis certabant omnes, honore invicem prævenientes. Sola erat de humilitate contentio, pacis genitrix et concordia. Qui, cum essent ex tanta morum, nationum, ætatum varietate permixti, inter se tamen velut unum corpus et unus spiritus concordissime vivebant, ut non tam hominum in terris degentium, quam Angelorum cœtus in humanis cordibus viderentur. Nulla virtutis disciplina præstantior illorum vel consuetudine, vel exemplo, aptis etiam ad permutandos perditos et profligatos mores. *lib. I. III, n. 13.*

## EXEMPLA PROFANA.

Aurelius Imperator philosophica studia reducere volens, postquam primus ipse palæstram ingressus est, mox omnes ad sui sequalem pellexit. *LIRÆUS in Apoph. S. Ign. lib. I, opoph. 4.*

Ludovicus XII, Francia Rex, quia filium ob valetudinem afflictam nolebat litteris imbui, effecit, ut passim omnes Nobiles, litteras contemnerent, quas tamen cum summa aviditate resumpserunt, ubi Franciscum Primum tantopere litteras amare, litteratosque fovere conspexerunt. *Ibid.*

Cum magnus Alexander collo nonnihil obtorto esset, usque adeo aulici imitari eum studuerunt, ut amicus Regis non crederetur, qui collum non obtorqueret. *Ibid.*

Æthiopes, teste Isidoro Siculo, tantis Reges suos amoribus prosecuti sunt, ut ad eorum imitationem vivere, vestiri, comedere, bibere, loqui, incedere, acquiescere, immo et oculum unum effodere, si Rex monoculus esset, solerent. *Ibid.*

Alexander Macedo interiorum Persidem penetraturus, cum ad viam nivibus obsitam, geluque constrictam pervenisset, ab eaque incedenda fatigatum militem abhorere videret, ex equo descendit, primusque dolabra sibi viam fecit, sicque effecit, ut et milites prompte sequerentur. *CURTIVS I. V, 6, 14.*

Theodosius Imperator cum in mensa frugalitati præcipue studeret, effecit, ut in

omnes nobilium Romanorum mensas eadem frugalitas penetraret, uti de eo Pacatus his verbis te tatur: Tuæ, Imperator, epulæ locorum ac temporum fructibus instruuntur; hinc certatim in omnes luxuria pudor inolevit, et quiescentibus legum minis, subit quandoque privatim sua penitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines imperii correctio, blandissime jubetur exemplo. *PACATUS, in fine orat.*

Zeno Stoicus dicere solebat, malle se unum Indum videre, qui se sponte flammis absumat, quam omnes de patientia audire et discere probationes. *CLEMENS ALEX. I. II, Strom.*

Carolus Quintus Imperator, cum ad Albi fluvium cum suo exercitu venisset, primus inauratis armis conspicuus, generoso equo trajecit; quo exemplo permoti milites, mox et ipsi pedibus a tergo equorum insidentibus fluvium ingressi, eoque superato insignem victoriam retulerunt. *SUBIVS, in Comm.*

Alphonsus, Rex Aragonum, cum moneretur, ut habitu plebeio, quo utebatur, rejecto, regali uteretur: Malo, respondit, moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura. *ÆNEAS SILVIUS, de Dictis Alphonsi.*

Duo Reguli, extra Sinarum fines positi, cum de regni sui limitibus jam diu contenderent, statuerunt in Sinas ire, et Changi æquissimi apud Sinas Reguli iudicio stare. At ubi Sinas ingressi, vident, unum alteri agrum conserendum ultro cedere, in via honoris causa cedere, certare officii, amissa a nemine humo tolli, in palatio præfectos se amice complecti, erubescere, nec ultra progressi, aiebant, se hoc exemplo doceri quid fieri expediret, et jam ipsi inter se cedere certabant. *P. MART. I. III.*

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Phrygio pretiosam auri telam conceidit, ut opus inde pulcherrimum efficiat; ita Deus suos Sanctos, dissecari velut pretiosissimas telas permisit, ut inde nobis pulcherrimum exemplorum opus relinqueret. *JULIUS FATIUS, c. XXI.*

Sicut in foro plurimi opifices conveniunt, quorum unus panes, alter olera, tertius vestes vendit; ita in orbe nemo omnes virtutes habet, ut, quod ipsi deest, ab aliorum exemplis mutuetur. *PLATVS I. I, c. XXVI.*

Sicut pictores, cum imaginem depingunt ab alia imagine, identidem ad exemplaria respiciunt; ita, qui se in omnibus virtutibus perfectum efficere cupit, elaborare debet, ut quasi ad simulacra mota et actione prædita, ad vitas Sanctorum, assiduo oculo convertat. *S. BASIL. in ep. ad Gregor.*

Sicut, qui se comunt, continuo specula aspiciunt; ita qui negotium feliciter et præclare gerere cupit, laudatorum virorum exempla sibi proponat. *PLUTARCH. in Moral.*

Sicut Zeuxis picturus Junonem, quinque virgines pulcherrimas accepit, ex quibus quod pulcherrimum erat, in suam imaginem transtulit; ita e plurimis optimi ad exemplum vite proponendi, et ex iis, quod optimum est, ad imitationem assumendum est. *LANGIVS in Polyanth.*

Sicut columbæ, una visa avolante, sequuntur omnes; pullus in armento equorum exiliens, secum omne armentum rapit; arietem grex omnis sequitur; sic inter homines fieri solet, utpote animal sociale, et ad morum communicationem proclive. *STAPLET. tom. VIII, in Dom. XX, post Pent.*

Sicut medicus, ut infirmo medicinam præscriptam minus insipidam, ingratiæque esse demonstret, ipse prius eam degustat, ut ad simile exemplum æger prompte medicinam absorbeat; ita Salvator, quando medicinam jejunii præscripsit, ipse sibi primus, ut bonis humani generis Medicus poculum, quod ægro daturus erat, gustat, ut peritiam artis suæ ante in se ipso demonstraret, et experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute. *S. AMBR. s. 59.*

NECESSITAS. — Sicut ii, qui Mathematicam addiscunt, si nonnumquam Theoricam non satis intelligunt, illis in practica præfigurantur anguli, circuli, vel aliæ figuræ, ut tanto magis ipsis imprimantur, et intelligibiliore reddantur; eodem modo, inquit S. Thomas Villan, Deus noster in Evangelio Theoricam nos docet perfectionis, quam ut melius assequi, nobisque comparare valeamus, easdem quoque nobis demonstrat, prout practice exercita et a Sanctis; ut, qui virtutum formam non intelligit, videndo sciat, quantum in se nobis, et in cæteris Christianis congregationibus, vita unius viri sancti inspecta, aliis proficiat, experientia demonstrat. *S. TH. VII. Conc. II, Dominic. 2. Quadr.*

Sicut in corporibus, sic in imperio gravi-

simus est morbus, qui a capite descendit, nec aliunde fere tanta pernicies venire membris politicis, quanta ab ægris capitibus, et moderatioribus flagitiosis, solet. Felices ergo Respublicæ, quarum sana sunt capita; at vae illis, quæ gubernatores habent secundum animam infirmos! *PLINIVS JUNIOR. I. II, ep. LXII.*

Sicut via ingressus affert laborem, magis autem, quando fuerit solus viator, et nullum habet viae comitem; ita etiam hic. Non parva enim res est fratrum societas et adhortatio; et ideo dicit etiam Paulus. « Considerantes vosmetipsos ad provocationem charitatis et honorum operum. » *AD HEBR. X, 24.*

Sicut, si quis oleo aliquem suis manibus uncturus, oleum non habeat, quomodo impertiverit aliis, quod ipse non habet? Ad eundem modum de iis, qui decent alios, sentiendum. *S. ATHANAS c. CXX.*

UTILITAS. — Sicut medulla, quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret, cum autem comesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur; sic et quamdiu sunt fideles, stat iste mundus, et cum sancti de isto mundo deficient, casurus est mundus. *AUCTOR Operis Imperf. hom. 1.*

Sicut infirmæ arbores, quæ se in altum erigere nequeunt, ut vitis, hedera et similes, alias arbores apprehendunt, earumque nexibus in sublime se extollunt; ita homines imperfecti exemplis perfectorum ad perfectionem excitantur. *STAPLET. tom. VIII, in Dom. XX, post Pent.*

Sicut si plures simul currant, tum maxime suam quisque tarditatem deprehendit; ita et Religiosus quisque nunquam magis cognoscat, quam parum profecerit, quam si ad alios ante se currentes attendat. *PLATVS. I. I, c. XXVI.*

Sicut pauperes, cum thesauros regios aspiciunt, suam paupertatem amplius cognoscunt; ita et magnificæ Patrum virtutes unusquisque relegens, mentem suam amplius humiliat. *S. CLM. gr. 26.*

Sicut equus etiam pigerimus ab aliorum celeri cursu ad sequendum excitatur; ita et homo accidiosus ad currendum in via Domini, aliorum exemplo incitatur. *S. CLM. I. VI.*

Sicut columbarii, ut aliorum columbas capiant, unam vel alteram balsamo inungunt; ita Christus animas Apostolorum inunxit virtutum balsamo, ut alii fideles hoc

odore attracti cum isdem in cælum perducerantur.

Sicut cœli, licet taceant, solo suo aspectu homines ad laudem Dei invitant, maxime cum noctu stellis illustres apparent; ita et homines perfecti et virtute conspicui, Deum etiam silentes laudari faciunt. S. CHRYS. hom. III. in Gen.

Sicut heliotropium ad motum solis; ita populares ad mores Principis efformantur et vertuntur. ALPHONS. ARAG. REX.

Sicut ex sanitate capitis sanitas derivatur in membra, ex luce solis toti orbi communicatur lumen; ita ex Principe bonitas in populum descendit. BERLINK. them II. in Fest. Nat.

**EXEMPLUM MALUM.** — Sicut solis defectus magnam mortalium perniciem trahit; ita Regentis error magnam gignit in subditis perturbationem. LANG. in Polyanth.

Sicut typus librario uno apud typographos vitiat, omnes postea reliqui libri inde impressi vitiat prodeunt; ita unus Princeps offendentium, totius populi fit vitium. GRANAT. in Loc. Com. s. CCLXXVII.

#### MOTIVA.

*Quia exempla conducunt ad glorificandum Deum*, uti Christus indicavit, dum dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. MATTH. v. 16.

*Quia efficacissimum instrumentum sunt ad lucrandum proximum*; nam, ut Seneca recte dixit: Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.

*Quia conducunt ad humiliandos nos*; sic S. Antonius a S. Paulo revertens dixit: Heu me miserum peccatorem, qui non nisi umbra sum Monachi, falso Religiosi nomine glorior! Vidi Eliam, vidi Joannem Baptistam in deserto, cum vidi Paulum in Paradiso. S. HIER. in Vita S. Pauli Erem.

*Quia ad imitationem præclarorum factorum provocant*; hinc S. Paulus Hebræos hortatur: Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum in-tuentes exitum conversationis, imitamine fidem. HEBR. XIII. 7. Et confirmans id ipsum S. Gregorius in illud: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (Ps. LXXV. 5), ait: Ex æternis montibus Deus nos illu-

minat, quia per admirandam vitam Patrum precedentium radio nos suæ claritatis illustrat.

*Quia roborant in adversis*; cum idem quodammodo dicant, quod olim Continentia S. Augustino dixit: Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris? Vere enim non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. S. GREG. I. XXVII. Mor. c. v.

*Quia consolantur in tribulationibus*; cum enim solamen sit miseris socios habere, non potest non magnum haurire solatium tribulatus, si Christi et aliorum Sanctorum exempla ob oculos ponat.

*Quia sunt occasio Sanctos summe honorandi*; summa namque religio est imitari quod colimus, teste S. Augustino, de Imitatione Christi. Et, juxta S. Ildephonsum, non tantum illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio.

*Quia Christus suo exemplo commendavit*; hæc enim potissima incarnationis Verbi causa fuit, ait S. Laurentius Justinianus, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima (quod Magistri et Doctoris manus est) tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, et coelestem, a qua elongaverat multum, remearet ad patriam. S. LAUR. JUST. in Fest. Exal. S. Crucis.

*Quia conducunt ad convincendos infideles*; plerumque enim contingit, ut pagani, qui vituperabant fidem Christianorum, postea considerantes bonam eorum conversationem, Christum laudare incipiunt. Hinc S. Petrus ait: « Ut in eo, quod detrectant de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. » GLOSSA, in I Petr. c. II. Immo, ut S. Chrysostomus ait, convincunt magis opera virtutis, quam miracula; ejus mox rationem reddit, dicens: Hæc namque fide fieri possunt, vel si vere, etiam ab improbis per gratiam gratis datam. S. CHRYS. de S. Babyla. Et consentiens S. Prosper: Plus, inquit, fideles Catholicos bonis exemplis, quam luculentis verbis solere proficere, eamque esse summam perfectamque doctrinam, quam conversatio spiritualis ostenderit, nunquam inanis sermo jactaverit. S. PROSPER. I. I, XVII. de Vita contemplativa.

#### MEDIA.

*Amor Dei*; sic enim incitabimur, ut per bona exempla nos veros esse filios Dei ostendere studeamus, sicque gloriose Patrem nostrum, qui in cœlis est.

*Amor communitatis, cui adscripti sumus*; sic enim non modicos stimulos ad vitam exemplarem sentiemus, utpote scientes, toti communitati adscribi, quidquid ab uno membro patrat.

*Amor, seu zelus proximi*; hic enim vehementer impellet ad bona exempla, velut primarium conversionis alienæ instrumentum, arripienda.

*Amor ordinatus nostri ipsorum*; sic enim studiose observare conabimur, quod S. Paulus monet: In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. II. ad TH. 7.

#### ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, cur Superioris præcipue bono exemplo præluere debeant; nimirum quia ipsi sunt cœli respectu subditorum, quia sicut motus cœli est regula omnium motuum inferiorum, ita opera Prælatorum debent esse regula subditorum. Sed dicitur (JER. IV): *Asperit oculos, et non erat lux in eis.* Unde fit, teste S. Fulgentio, ut qui sunt in sæculi culmine constituti, aut secum plurimos perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. S. FELIX. epist. VI. Quare S. Gregorius ait: Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Ex virtuosa quippe vita, ac informatione Superiorum in tantum dependet profectus et salus inferiorum, ut per Jeremiam Dominus protestetur: « Quoniam stulte egerunt pastores, propterea omnis grex eorum dissipatus est. » S. GREG. p. II. Past. c. III. Et confirmans id ipsum S. Hieronymus: In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publica

disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. S. HIERON. ad Heliod.

Nosse debet, ad quem finem exempla diriguntur, id quod S. Laurentius Justinianus indicavit: Virtutes Sanctorum in litteris annotatæ, sunt tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus exposita, quo sine offensione pergere, et ad quem suam peregrinationis finem, intentionem suam sistere debeant. S. LAUR. JUST. c. XIII. de Justit. Probat. Hinc Thomas Kemp: Non vales tu, inquit, omnes posteros ditare, nec cuncta damna præcavere, stude potius post te relinquere exemplum virtutis, quam sufficientiam terreni census. TH. KEMP. Conc. XVIII.

Nosse debet virtutem exemplorum, quam recte indicavit, qui dixit: Exasperat homines imperata correctio, blandissime docet exemplo. PACATUS in Panegy. Theodosii.

Nosse debet, etiam prava exempla in nostrum utilitatem esse convertenda. Hinc Maria, Moysis soror, supplicio afflicta, ut Aaron confusione mulctetur, inquit Salvianus; hæc enim est semper incredulitas humane duritiæ, ut non solum audiendo, sed etiam videndo non credat, alios interisse, nisi et se ipsam viderit interire. SALVIAN. I. I, de Proe.

Nosse debet, quod prudenter Cassiodorus monuit, dicens: *Non aliena exempla perquiras. Memor esto, quæ feceris, et non indiges admoneri.* CASSIOD. I. IX. Var. Epist. VIII.

Nosse debet et observare doctrinam Cassiani dicentis: *Exempla tibi sunt imitationis ac vitæ perfectæ in congregatione commorantis, a paucis, immo ab uno vel duobus, non a pluribus expectanda.* Cui consentit S. Bernardus, dum ait: Elige tu ipse tibi hominem consilio meo, cujus vitæ exemplar sic cordi tuo inderit, reverentia inhaerit, ut, quoties ejus recordatus fueris, ad reverentiam cogitatis assurgas, et te ipsum ordines ac componas, ac si præsens sit, in affectum matris charitatis emendet in te omnia emendanda, et tamen nullum patiaris damnus secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit, quodcumque volueris; occurrat sæpe et cum polueris. Inreprobatæ ejus describe tibi. S. BERN. ad F.F. de Mont. Dei. Sic Petrus Blesensis de seipso testatur: *Diu a retroactis temporibus aliquem tui Ordinis (Gisterciensis) virum semper mecum habui, mee conversationis testem, mei que corporis et anime Angelum et Custodem.* Unum tamen elegi, et prælegi mihi dilec-

tum Deo et hominibus, quem iudicio meo longe differentius multis quædam præeminentia probatissime illustrat religionis etc. Ipse procul dubio Dei est, Canonice institutionis serenissimus æmulator, suæ carnis crudelissimus adversarius etc. Memoriam ejus posui tanquam signaculum super cor meum, ejus humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, et, ut includam multa paucis, incomparabilem honestatem, in interioribus meis jugi recordatione circumfero, quantumcumque permittit conversatio secularis, ad exemplar illius, quasi ad sigilli spiritualis imaginem me consigno.

PETRUS BLESENSIS. *in Invektiva adversus oblect.*

Nosse debet, quod, licet unum velit Deum et Magister spirituales viæ sequi debeat, non tamen omittat a pluribus interdum ex occasione fructum spiritualem capere; nam, ut bene Cassianus monet, vetus est beati Antonii admirabilisque sententia, Monachum spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere unamquamque virtutem ab his, qui eam familiariter possident, desolare, et in sui pectoris vase recondere. Cunctas namque si ab uno volumus mutuari, aut difficile, aut certe nunquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Cass. l. IV, c. IV.

Hinc et Thomas Kempensis monet: Ubi que profectum tuum capias, ut, si bona videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraveris, cave, ne idem facias; aut si aliquando fecisti, citius emendare studeas. L. II, c. II, § 3.

Nosse debet, et inculcare aliis, in Sanctis quæpiam frequenter admiranda esse potius, quam imitanda, adeoque doctrine S. Basilii meminere dicentis: In qua re quisque nostrum senserit se deficere, in illo assidue incumbens, tanquam ab officina quadam medicinæ appositum suæ infirmitati medicamentum invenire poterit. S. BASIL. *opud Beirl. t. XI, in festo Omnium Sanctorum.*

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Trahe me post te; in odorem curremus unguentorum tuorum; Cant. 1, 4; potest ostendi. 1. Quam merito exempla possint odori comparari, juxta illud S. Bernardi: Habent enim mo-

res colores suos, habent et odores; odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi dat ejus bonitas, et cordis intentio, odorem modestia et virtutis exemplum. S. BERNARDUS, scrip. LXXI. 2. Quam efficax sit hic odor ad trahendas animas; id quod auctoritate SS. Patrum et exemplis supra allatis probari potest.

Ex occasione thematis: « Vos estis lux mundi; » MATH. I. VI, n. 15, potest ostendi, quomodo quilibet Superior respectu subditorum suorum debeat esse lux, et tria officia seu effectus lucis producere. Nempe 1. *Purgare*, exsiccando lutum et fœces peccatorum, ita tamen ut ipse, dum purgat, non maculetur. 2. *Illuminare*, docendo ea, quæ ad vitam honeste et pie traducendam sunt necessaria. 3. *Calefacere*, bonis exemplis ad amorem Dei et proximi accendendo; id quod particularibus casibus amplius explicandum erit.

Ex occasione thematis: « Præcedam vos in Galilæam; » potest 1. ostendi necessitas boni exempli in iis, qui præsent, eumque in finem afferri S. Laurentii Justiniani sententia dicentis: Debet prius dominari sibi, qui causæ constituendus est iudex alienæ. Ridiculum est aspiciere foris in cathedra residentem et intus in passionum fœtoribus sepultum. S. LAUR. JUSTIN. *de Christi Agone*, c. XII. 2. Quomodo debeat practice præcedere, tum in vitiorum fuga, tum in virtutum Christiano competentium exercitio; hoc enim est in Galilæam, id est, transmigracionem, præcedere.

Ex occasione thematis: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi; » (PHIL. III, 17.) potest ostendi, 1. Quomodo debeamus de pingere et imitari Sanelos, scilicet animam nostram pro tabula usurpando, pro coloribus virtutes, pro penicillo actuale exercitium, et oculos semper ad prototypum convertendo. 2. Cur omnem diligentiam in tali imitatione adhibere debeamus, nempe quia, ut S. Ildephonus dixit, non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis istorum imitatio; nam prodest ad humilia-tionem, instructionem, roborationem, consolationem, remunerationem; quæ omnia facile ex dictis ostendi possunt.

#### ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Recte Christus Apostolis dixit: « Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi; siquidem sal, priusquam cibos condiat,apidisque reddat, liquesit et consumitur; item candela, ut alios in caligine noctis illuminet, prius colliquescit, et destruitur; tales itaque omnes eos esse voluit Christus, qui per Evangelii prædicationem impios ad salutis viam reducere debent, salem scilicet et lumen, ut prius jejuniis, vigiliis, peregrinationibus, et elemosynis sese emacerent; omnibusque aliis corporalis et spiritualis misericordiæ operibus vacent, quia hoc auditores dociles reddit, et faciles, ut inclinentur, et convertantur. MANSI, disc. II, n. 8.

Acute observavit Episcopus Abulensis, Alphonsus Tostatus, quod Dominus, postquam verbis significasset Moysi quomodo Sanctuarium fabricari, et partes ejus singulas construere deberet, non satis putavit, sermone id illi exposuisse, sed etiam quoddam velut exemplar et prototypum ob oculos posuit, ut coram videret simulacrum, ejus speciem formamque in Sanctuario exprimeret. Quando instruxit Moysen de fabricacione Sanctuarii, non solum dixit ei de singulis rebus, quomodo fieri deberent, sed etiam ostendit ei unam similitudinem omnium, ut videtur sibi Moyses totum Sanctuarium erectum. Sed notandum, quod Moysi, cum Sanctuarii construendi negotium perficere jussus esset, simul dictum fuit: « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. » Exod. 25. 40. Premitt hæc Abulensis, inquit: Non dixit, quod attenderet ad verba, quæ ab eo audierat, sed ad exemplar. ABULENSIS. *in c. x.*

Mellifluus Doctor sapienter annotavit, quod crebro tribuatur Joanni Baptista gloriosa appellatio Præcursoris Verbi æterni. Ipse ideo pater illius Zacharias exultans gaudio pro tanto beneficio, cum illum forte brachiis constrictum gestaret, aiebat: « Præbis ante faciem Domini parare vias ejus, » Luca 1, v. 76, et officium Metatoris hospitiorum supremi, apud Principem æternitatis administrabis. Cum autem hoc officium in eo positum esset, ut lucem ministraret, erudit, doceret, videamus, inquit Bernardus, quemadmodum lucem hæc fax præbebat, ut inde intelligamus, quomodo tantumdem facere debeant, qui ex vero et legitimo zelo

illuminare debent. *Ille erat lucerna ardens, et lucens, inquit de illo Joan. v, v. 75.* Christus ipse, cui præibat Joannes viam, ut exciperetur in mundo. Magnum testimonium, fratres mei; magnus enim est, qui perhibetur, inquit Serm. de Sancto Joanne. Ingens elo-gium, gloriosa prædicatione, insignitissima commendatio divini Præcursoris. Et quantus ille, qui tantum meruit encomium! Et quomodo illum vocat coelestis Magister? *Erat lucerna ardens, et lucens, inquit.* Primum arsisse memorat, deinde luxisse. Non ait, lucens, et ardens, inquit Bernardus, sed quod ante ardebat, dein lucebat. Nam lucere, ut ardeas, vana dilucio est, verum arere, ut lucas, Præcursorum Christi verum iter est. Expono sensum meum, ait Bernardus: Lucere, videtur olere hypocrisis et vanitatem; nam lucere solum, est studere opinioni, et existimationi apud homines conciliandæ; verum arere, est solidæ et veræ virtutis nota et indicium. Sed quare dicitur de Joanne, quod venit in mundum, et natus est in Spiritu Elie? *Præcedet in Spiritu et virtute Elie.* Luc. 1, v. 17. Ideo, quod erat lucerna ardens et lucens. Ardebat primum, mox lucebat; nam qui primum ardet, qui flagrat, qui vivis divini amoris flammis incenditur, ille aptus est, ut luceat, ille virtute et Spiritu ardentis et zelosi Elie armabitur. Nam qui solum ardet, et studet inani probitatis existimationi, Patrisque Spiritualis titulum affectat, sola vana Spiritus umbra contentus, nunquam in talis erit, ut deceat eum Spiritu et veritate, quam professio Evangelica postulat. Ardeat Prædicator, ferveat Confessarius, conflagret Dei amore Magister Spiritualis, et non studeat soli cuticulae suæ curandæ, et carni commode habendæ; scio enim, quod tunc ex animo, et Apostolico zelo tractabit summum salutis animarum negotium. At quem carnis cura occupatum, impedimentumque habet, fieri non potest, ut is serio, atque, ut deceat, anime et Spiritus negotia procuret. S. BERN. *opud Nyss. in Phan. l. IV, c. 1.*

NECESSITAS. — Exempli necessitatem recte Verbum Incarnatum ostendit, utpote quod licet a primis vite annis conversionem animarum, prædicationem Evangelii, novæque legis gratiæ promulgationem exordiri potuisset, nihilominus, teste S. Matthæo: « Exinde coepit Jesus predicare, et dicere: Penitentiam agite; » quoniam vero tempore illud *Exinde* inchoatum fuisse existimatis?



fuisset, nisi peculiare in eadem cæremonia mysterium lateret, quod idem S. Gregorius, super Ezechielem scribens, his verbis declarat: Caput ad pinulas retorquere præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, et os ad opera conjungas. S. GREG. hom. VII, in Ezech.

Ipse quoque Seneca, moralis Philosophus, hanc nobis veritatem delegit, dum ad Lucilium suum ita scribit: Longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla; quia homines plus oculis credunt, quam auribus; dicere enim facile est, operari autem difficile ac proinde, plus operibus, quam verbis creditur. S. Cyprianus majori, quam Seneca, cum auctoritate loquitur, dum inquit: Plus proficitur, cum in rem presentem venit, nec de virtute dubitatur, quando, quod præcipitur, etiam exemplis firmatur. S. CYPR. de Discipul. et Bono pub. Et idem Plinius ait: Erat antiquitus institutum, ut a majoribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quæ faciendæ sunt.

In Deuteronomio, ubi de victimis in honorem Dei offerendis agitur, sequens a supremo Legislatore decretum conditum fuit: « Hic est Judicium Sacerdotum, a populo et ab his, qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt Sacerdoti armum. » DEUT. XIII, 2. At vero quidnam in eo latet mysterii, quod Sacerdoti potius hanc victimæ partem, et non aliam assignari? Cur non potius caput vel pectus iis cedere debuit? Omnia in figura contingebant illis. Unde S. Gregorius ait: Divina lege armum Sacerdos dextrum in Sacrificium accipit, et separatam, ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis, nec inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. S. GREG. I. c.

In parabola Regis ad nuptias invitantis notandum, quod in priori invitatione nil de tauris et alitibus dicitur, in secunda autem jam tauri et altilia mactata esse memorantur; quia omnipotens Deus, cum verba ejus audire nolumus, adjungit exempla, ut omne, quod impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse jam et alios audimus. Ibid. hom. XXXIII.

Orator Christianus, cum sit perfectus Christi imitator, non absque singulari

mysterio appellatur verbi divini, et doctrinæ celestis sator, qui ut fructuose dicat, hoc debet agere inter homines, quod ruri satores. Et quid agunt? Manu seminant, non ore, inquit Joannes Chluniacensis. Sic prædicator, qui sibi meritum, aliis emolumentum vult parere concionando, debet illos non verbis tantum, verum et manibus operibusque erudire. Opera enim quamvis absque lingua sint, majorem tamen habent eloquentiam et efficacitatem persuadendi, quam sola verba. Hanc ob causam S. Prosper ait: Eos, quibus ex officio incumbit, alios docere, et populum per viam veritatis dirigere, nec posse, nec debere exhortationis munus intermittere, tametsi forte parior natura faciendæ illi exercitationi parem, et verborum affluentiam, quantum res ista postulat, non dederit. Verba illius, ex l. I, de Via Contempl. c. 23, hæc sunt: Nec vero se per imperitiam Pontifex excusabit, quasi propterea dicere non valeat, quod ei sufficiens, et huiusmodi sermo non suppetat, quando nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita, satique auditores possint proficere, si a Doctore suis, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo: *Etsi imperitus sermone, sed non scientia*. 2. Cor. XI, 7. Notate in his illa in primis: Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita. Nullus enim tanta est in exhortando vis, quam sanctæ vitæ et operationum honorum, ea propter et B. Paulus, quod verbis non valebat, exemplis faciebat, et cui lingue diseritudo deerat, illi vitæ sanctæ consuetudo sat erat, ut homines ad virtutis studium et Dei amorem excitaret, atque inflammaret. S. PROSP. I. I, de Vita Cont. c. XXIII.

Cum Sponsus sue admirabiles perfectiones, et gratiarum varia ornamenta Sponsus delinearet, postquam oculorum elegantiam, oris venustatem, genarum decentissimam formam, capillorum pulchritudinem commendasset, demum uberum speciem tali similitudine explicat: « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascentur in liliis. » Cant. 45. Constans interpretum sacerorum expositio habet, per ubera Sponsæ intelligi Doctores et Prædicatores Ecclesiæ; sicut enim ab uberibus suam hauriunt alimentam infantes, ita pabulo doctrinæ nutriuntur ad eternam vitam Christianorum anime. Sed observandum hic aliquid cum Hugone Cardinali, quod apud illum sic ha-

bet: Cum uberum sit pascere, et non pasci, quare dicitur hic, qui pascentur in liliis; et non potius, qui pascent in liliis? Si Doctores sint ubera, ubera vero ad hoc data, ut nutrimenta ministrent, cur pasci feruntur, qui ex officio pascere debent? Quomodo hunc dissolvemus nodum? Hugoni facilis occurrit solutio, ejus sunt ista: Dicimus, quod veri Prædicatores prius pascentur doctrina sua, et reficiantur, quam alios reficere incipiant, et ideo melius dicitur, pascentur, quam pascent. In hac sane curandarum animarum Philosophia nullus æque pascere alios potest, ac is, qui se ipsum primo pascit cilio virtutum et usu honorum operum, quorum exercitationi dum studet, eadem opera alios ad similia, etiam tacens, excitat et instigat. HUGO CARD. in c. IV, Cant.

Mirum est, quanto verborum ambitu Propheta Regius ab omnibus mundi hominibus petierit aures attentas ad ea, quæ ad communem omnium instructionem dicturus erat, eum hæc aiebat: « Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. Inclino in parabolam aurem meam; aperiam in psalterio propositionem meam. » Ps. 48, 2, 3, 4, 5. In his extrema verba ex Hebræo sic etiam verti posse: « Aperiam in psalterio problema meum, enigma meum, » aiunt Joannes Campensis, Arias Montanus, Genebrardus, et alii plurimi. Problema vero est sententia obscurior, quæ egeat explicatione, vel studio, quasi enigma tegens verborum involucri res spirituales et subtiles, quoniam multa habet involuta et obscura. Hæc fere Genebrardus: Quis hic non animadvertit, quod divinus Propheta ab omnibus, etiam rudibus, et admodum imperitis et audiri, et percipi cupit, et mox enigmata abstrusa et obscura se dicturum promittit, quæ nec eruditissimi statim intelligere queant? Sicine ad auscultanda talia totum terrarum orbem, et omnes gentes, hoc est, imperitorum ignarissimos et indoctissimos convocat? Quo fructu illi audient, qui sensum assequi non possunt? Bene habet istud. Sed non vides, quemadmodum se propositionem suam et orationis thema propositurum dicit? *Aperiam in psalterio propositionem meam*, inquit. Quid habet psalterium, ex quo fieri possit, ut etiam, qui tardissimo et abstru-

bet: Cum uberum sit pascere, et non pasci, quare dicitur hic, qui pascentur in liliis; et non potius, qui pascent in liliis? Si Doctores sint ubera, ubera vero ad hoc data, ut nutrimenta ministrent, cur pasci feruntur, qui ex officio pascere debent? Quomodo hunc dissolvemus nodum? Hugoni facilis occurrit solutio, ejus sunt ista: Dicimus, quod veri Prædicatores prius pascentur doctrina sua, et reficiantur, quam alios reficere incipiant, et ideo melius dicitur, pascentur, quam pascent. In hac sane curandarum animarum Philosophia nullus æque pascere alios potest, ac is, qui se ipsum primo pascit cilio virtutum et usu honorum operum, quorum exercitationi dum studet, eadem opera alios ad similia, etiam tacens, excitat et instigat. HUGO CARD. in c. IV, Cant.

Mirum est, quanto verborum ambitu Propheta Regius ab omnibus mundi hominibus petierit aures attentas ad ea, quæ ad communem omnium instructionem dicturus erat, eum hæc aiebat: « Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. Inclino in parabolam aurem meam; aperiam in psalterio propositionem meam. » Ps. 48, 2, 3, 4, 5. In his extrema verba ex Hebræo sic etiam verti posse: « Aperiam in psalterio problema meum, enigma meum, » aiunt Joannes Campensis, Arias Montanus, Genebrardus, et alii plurimi. Problema vero est sententia obscurior, quæ egeat explicatione, vel studio, quasi enigma tegens verborum involucri res spirituales et subtiles, quoniam multa habet involuta et obscura. Hæc fere Genebrardus: Quis hic non animadvertit, quod divinus Propheta ab omnibus, etiam rudibus, et admodum imperitis et audiri, et percipi cupit, et mox enigmata abstrusa et obscura se dicturum promittit, quæ nec eruditissimi statim intelligere queant? Sicine ad auscultanda talia totum terrarum orbem, et omnes gentes, hoc est, imperitorum ignarissimos et indoctissimos convocat? Quo fructu illi audient, qui sensum assequi non possunt? Bene habet istud. Sed non vides, quemadmodum se propositionem suam et orationis thema propositurum dicit? *Aperiam in psalterio propositionem meam*, inquit. Quid habet psalterium, ex quo fieri possit, ut etiam, qui tardissimo et abstru-

sisimo sunt ingenio, involutissima et reconditissima mysteria intelligere queant? S. Augustinus et Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus, et alii aiunt: Psalterium est instrumentum, quod manu pulsatur. Sunt instrumenta nonnulla, quorum totus ab ore venit sonus, sic ut manuum officium parum huc faciat. Psalterium vero sic manus requirit, ut nisi ab illis tangatur, prorsus sit mutum. Dicit nunc Rex Sanctus: Audiant me omnes, quantumvis stupidi sint, et bardi, quia facile me intelligunt, si in psalterio propositionem meam aperiam, si ad linguæ verba opera manuum adhibebo; vel, si mera ænigmata, et reconditissima mysteria loquar, ea etiam hebetissimo nihil obscura erunt, si modo ipse fecero, quæ faciendæ prædico; nihil enim tam involutum esse potest, quod vita Prædicatoris sancta non apertissimum, et explicatissimum, et luculentissimum faciat. NYS. § 3, in *Dom. Secog.*

UTILITAS. — Valde considerabilia sunt illa verba in sacris Canticiis, quibus Sponsa, quæ Ecclesiam præfigurabat, celestem amatorem suum affatur dicens: « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. » Circa quæ verba observandum, quod Sponsa primitus in numero singulari loquatur, dicens: *Trahe me*, postea vero in plurali, dum ait: *Curremus*. Quoniam vero spectat hæc a Sponsa observata sermonis differentia? Fortene, inquit Sanctus Bernardus, Sponsa indiget trahi, et adolescentula non indiget? Edisserere nobis hujus distinctionis rationem: *Trahe me*, ais; quare *me*, et non *nos*? Paulo post vero examinatis prorsus quibusdam rationibus, ita concludit: Voluntaria et cum omni alacritate curremus; non curram ego sola, si solum me trahi petierim, current et adolescentule mecum, curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illa meo excitata exemplo. S. BER. in c. 1. *Cant.*

Deus olim, duce Gedeone, populo suo victoriam destinans contra implacabiles Israelitarum inimicos Madianitas, milites manibus gestare voluit pocula testacea, inclusis intra ipsa lampadibus aliquot, quarum lumen ruptis vasis inter mutuas collisiones compareret; cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confrégissent, tenerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, et clamaverunt: « Gladius Domini et Gedeonis! »

Ita quoque Dei Filius, ejus typum ille magnus Dux gessit, Filius, inquam, Dei, qui non venit pacem mittere, sed gladium, gentiles idololatrias, nominisque Christiani inimicos domiturus, quo putatis, usus fuerit remedio? Jussit, ut multi fidelium in suppliciorum carnificina corporum suorum rumperent argillam, id est, in confessione fidei constantes perseverarent, et prædicationis Evangelicæ tubas insonarent, maxime autem, ut accensarum lampadum, id est, bonorum exemplorum splendore, alios illustrarent. Vide, inquit Origenes, quia electi milites Dei cum lampadibus pugnant, sic enim Christus eos armaverat dicens: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucerne ardentes in manibus vestris. » Et iterum: « Sic fulgeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona: » talibus ergo lampadibus pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes, et splendore gestorum. ORIG. hom. IX, in *Jud.*

Cathedra Synagoge Hebræorum, ex qua populus in lege divina erudiebatur, suam a Moysse nomen sortita erat: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei*. Sed cur non potius sedes illa cathedra appellabatur Aaronis, qui Summus Sacerdos fuit, et ad quem specialiter pertinebat, populam erudire in rebus religionem et profectum spirituales spectantibus; præterquam quod Moyses frater ejus balbutiens et elinguis erat? Respondeo, hoc quidem verum esse, verumtamen, quamvis Moyses in loquendo sterilis esset, valde tamen in operando fecundus erat, magisque facundus manu, quam lingua, utpote qui manu prodigiosam circumferabat virgam; tales autem admirabili cum fructu suam diffundunt instructionem et doctrinam, illi, inquam, qui plus manu, quam lingua loquuntur. S. Gregorius Nyssenus homini manus a Deo datas esse arbitratur, ut majori cum efficacia loqueretur; dicit namque: Dedit homini manus, ut melius loqueretur. MANSI, dis. II, n. 3.

Volens Deus ex silice producere aquam, Moysi jussit, ut manu virgam applicaret: « Tolle virgam ». Quorsum, vos interrogo, requirebatur virga, quandoquidem miraculum per linguam patrandum erat? *Loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas*. Sensu igitur litterali relicto, ad mysterium me confere, et dico, voluisse per hoc designare Dominum, quod aquam conjunctionis ex induratis impiorum cordibus educturi,

primitus prodigiosam operationum exemplarium et admirabilem virgam manu accipere debeant, et deinde ad petram loqui, id est, persuadere, et *habituatos* convertere peccatores. IBID. n. 2.

Regulus ille Capharnaïta post miraculosam per Salvatore filio restitutam sanitatem, non solum ipse legis Evangelicæ jugo, sed et tota illius familia se subiecit, dicente S. Joanne: « Credidit ipse, et domus ejus tota ». Verisimile autem est, eam familiam habuisse admodum numerosam, siquidem persona opulenta erat, inque honoribus constituta. Porro si tantæ conversionis rationem queritis, S. Thomam audite dicentem: Quia secundum conditionem dominorum, sive bonam, sive malam, servi disponuntur. S. THOM. in *Joañ.* Notandum autem Spiritum Sanctum, qui fallere nequit, notanter dicere: Domus ejus tota; ita ut omnes et singuli ad exemplum domini sui sese converterint. Ideoque S. Hieronymus, inquit: Vide, quanti referat majorum fides cum bonis conjuncta moribus; inferiores enim eos facile sequuntur.

Sacer textus ait: « Cum ambulabant animalia, ambulabant pariter, et rotæ juxta ea, et cum elevebantur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. » Ubi Galfridus per similitudines dietorum animalium currum sustinentium, illos dicit denotari, qui regimini præsent, et ministerio destinati sunt Evangelico; per rotas vero subditos intelligit. Observandum vero est, quod rotæ illæolvebantur juxta velocitatem et tarditatem motus animalium, quia secundum quod bona vel mala sunt superiorum exempla, subditi vel gressum sistant, vel cooptum a se cursum prosequuntur. Nunc autem quod miserandum est et dolendum, pluribus in locis cum retrocedentibus animalibus, revertantur simul et rotæ, et cum cadentibus cadunt, et cum incurvatis ad terram pariter incurvantur. GALFRID. apud *Mansi*, dis. II, n. 5.

Jacob Patriarcha ut gregis sui foetus multiplicaret, tollens virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, et ex parte decorticavit eas, et cætera, quæ ibi fusius narretur historia; quod dicti Patriarchæ factum S. Thomas de Villanova adducit ad demonstrandum quantum fideles animati, et numero aucti sint, Martyrum, omniumque aliorum Sanctorum exemplo. Tunc enim in domo Laban, id est, in Gentilitate, multiplicatus est grex Christi, et numerus Chris-

tianorum et electorum Dei, quando unus ad imitationem alterius ad martyrium properabat, et ex idololatriæ præruptis, horridisque desertis, ad celestis Pastoris reducebantur ovile. S. THOM. VILL. *conc. in Dom. II, Quad.*

Cardinalis Cajetanus in illa Domini verba: « Hodie salus domui huic facta est » sic ait: Significatur facta salus non soli Zachæo, sed familie ejus similiter. Sed quomodo id significatur, cum solus Zachæus sua peccata fuisse confessus, solus suas culpas deplorasse feratur? Nonne illud legitima consecutione conficitur? Nonne Zachæus erat pater, et caput familie? Erat. Nonne dolore et lacrymis sua damnavat scelera? Damnavat. Ergo certum erat, domesticos illius omnes tantumdem facturos, ut merito diceret Christus: « Hodie salus domui huic facta est ». Membra enim caput sunt sequuntur, et quando paterfamilias est vir probus, domesticos illius omnes numerare in probis potes, ut e contra in impiis recensere famulos, quorum sunt scelerati domini. NYS. in *vita Abrah.* l. VI, c. IX.

Primum legis mandatum, et maximum omnium, hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum, etc.* Hoc est maximum et primum mandatum, aiebat Dominus. Matth. 22, 37, 38. Quis fuit primus promulgator hujus mandati? Doctor populi Hebræi Moyses, cui hoc præceptum cum reliquis in tabulis scriptum Deus dedit, ut plebi suæ denuntiaret. Quamdiu vero Moyses cum Deo conversatus fuit, priusquam Decalogum populo exponeret? Sacrum Oraclum id his verbis declarat: « Ascendit Moyses in montem et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. » Exodi 24, 18. Quid cause, quod Moyses tamdiu existere in monte, et in consortio Dei vivere, continuoque miscere sermones cum supra majestate debuit? S. Petrus Chrysostolus id exponit dicens: Ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, ut tantum esset Dei amore succensus, ut ipse ardentem diligeret, et alios, ut diligerent, sic moneret: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Promulgaturus erat Sacer Dux primum mandatum, quod jubet amare Deum, tum et cætera, quæ tabulis expressa erant. Et quoniam hoc mandatum, utpote amoris viva flamma, et ardens ignis erat, congruum quoque, ac necessarium erat, Moyses in medio, meroque amoris igne, qui Deus est, hæreret, ut totus

charitate primum inardesceret, tantumque non deliraret, dein alios supremi Domini amore inflammaret; ut esset tanto Dei amore succensus, ut ipse ardentem diligeret, et alios, ut diligerent, sic moneret. Nam ut frigidus et gelidus legislator subditis multum ignem, aut flammam subiciat, id communis virium creaturarum conditio non fert, et moraliter fieri nequit. Tametsi enim aliud sit lex, aliud legislator, et possit esse lex bona, quamvis legislator sit malus, nihilominus experientia teste scimus, nunquam continentius, et religiosius, magisque pie, ac sobrie vivere subditos, quam cum Principes et quiescent alii Superiores legis vigorem, suae exemplo vite fovent, acunt, confirmant. S. CHRYSOL. s. 24.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Abbas Pœmen dixit, hominem, qui alios docet, et non facit ea, quae docet, similem esse fonti alto, qui omniam res lavat, et omnes satiat potu, seipsum autem lavare non potest, sed habet immunditias et sordes. *Vit. PP.* n. 183.

Paphnuntius dicere solebat, orationes spirituales, quae non a vita honesta comitantur, esse spicas, quae a vento intereunt, quae haerent quidem figuram spicae, sed alimento carent. *Ibid.* l. viii, 25.

Deus olim vetuit: Ne accipias a fratre tuo usuras, nec amplius, quam dederis. Super quae verba Flavianus: Qui sunt, ait, qui usuras accipiunt, nisi qui ad ea cogunt alios, quae ipsi non faciunt, quorumque exemplum illis non præberunt? Hi sunt enim, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt movere. *GRANAT. Loc. Com.* 378.

Sed et alibi dixit Deus: Non seras agrum diverso semine. *Ibid.* *LEV. XIV.* 19. Quod idem auctor ad exemplum applicans: Ager, inquit, est Ecclesia, de qua Paulus ait: *Dei agricultura estis.* Diversum autem semen seminat in hoc agro, qui dicit, et non facit, quae loquitur, sed contraria operatur, verbo triticeum spargens, exemplo autem semen stipularum in corde proximi jacens.

Cancer marinus, cum prolem suam in littore tam distortos gressus adverteret facere, ideoque increparet, et recta incedere iuberet, audiit ab illa, præcederet modo ille,

mox se secuturam. *ENGELG. Embl.* xviii, *Luc. Evang.*

Veteres sacerdotem depingentes eidem in una manu solem, in altera horologium tribuebant, innuere volentes, eum non tantum illuminare, sed etiam vitæ exemplo dirigere alios, vitamque suam dietis, velut horologium soli conformare debere. *Ibid.*

Carolus Quintus dicere solebat, se, ubi civitatem ingrederetur, tria P. P. inquirere, ac observare. An bonus in ea sit *Pastor*, *Prætor*, *Præceptor*? Quibus salvis, se non dubitare de bono statu reipublice. *Ibid.*

Solon populares homines Principum umbras vocabat; ut enim umbrae figuræ corporis, ita hi Principum mores adumbrant, et a corpore curvo frustra recta umbra expectatur. *Ibid.*

Alius, vulgus speculum Principum appellabat; ut enim hoc ridenti aridet, flentem dellet, gestientis gestus refert; ita vulgus Principum nutus ac mores in se exprimit.

S. Scriptura patientiam Job descriptura præmittit: Vir, seu, ut Chaldaei vertunt, homo quidam erat in terra Hus, nomine Job, quod, teste S. Chrysostomo, ideo factum, ne quis certaminum ac patientie spectate magnitudine incredibili, peregrinam, et non humana natura præditum arbitraretur; ideo naturam a proximo ponit aspectu. S. CHRYS. *in cit. loc.*

Quando instruxit Deus Moysen de fabricatione Sanctuarii, non solum dixit ei, quomodo singula facere deberet, sed etiam ei exemplar obtulit, illudque inspicere iussit, bene videlicet sciens, exempla magis instruere, quam verba. *NUM.* 10. Sed et ante legis promulgationem, secum quadraginta diebus et noctibus in monte habitare voluit, ut tantum esset Dei amore accensus, ut ipse ardentem diligeret, et alios, ut diligerent sic, moneret, quemadmodum S. Chrysologus notat. *EXON.* xxiv, 18.

Dum de pastoribus S. Lucas dicit, quod reversi glorificaverint Deum, *sicut dictum est ad illos*, quærit Nyssenus, quomodo hæc verba addere Evangelista potuerit, cum Angeli solum dixerint: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator? et respondet, cum Hugone cardinale: Referunt laudes et gloriam Deo, non quod Angeli imperassent laudare, sed quia ipsi laudando offerebant formam devotionis suae, dum dicunt: Gloria in altissimis Deo! *LUC.* ii, 20.

Herodias a matre caput S. Joannis petiit, id quod demon suggestit, ut S. Chrysologus notavit dicens: De matris pectore dat rugitum nova bellua, contempta corporis præda, caput ipsius truncatura pervadit, sciens in capite omnem perniciem aut felicitatem rerum publicarum esse positam. S. CHRYS. s. 127.

Nyssenus quærit, cur ad nuptias Rex Evangelicus miserit servos dumtaxat, ad operarios vero conducendos ipse iverit? et respondet, ad nuptias utpole rem gratam nullo motivo fortiore opus fuisse, secus vero in invitatione ad labores; hinc ipsum Dominum exemplo suo invitare voluisse.

UTILITAS. — Joannes II, Rex Lusitanie, cum amicus medicum ægrotaret, et potionem acerbam a medico porrectam bibere nollet, calcem arripuit et prægustavit, ut suo exemplo ad bibendum incitaret. *ENGELG.* p. 2, *Col. in Fest. S. Jac.* § 1.

S. Bernardus super illa verba: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum etc., pulchre sic discurret: O pulchra, o felix, o beata, odessere nobis hujus distinctionis rationem. *Trahe me*, ais; quare me, et non nos? An hoc bonum invidet nobis? Absit. Neque enim proliius dixisses, adolescentulas tecum esse cursuras, si sola post Sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura *curremus*, trahi te singulariter postulasti? Non curram ego sola, etsi solum me trahi petierim; current et adolescentulae mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, ille meo excitatæ exemplo et hortatu. S. BERN. s. XXI, *in Cant.*

Recte Seneca:

Rex velit honesta, nemo non eadem velit.

SENEC. *in Trag.*

Magnorum virorum non minus memoria, quam presentia est utilis, sapienter quidam dicebat. *Apud BERN.* tr. II, *in Fest. Nat.*

Bonum exemplum virgis Jacobi in canali ovium positus simile est; quales enim colores ipsum habebit, tales habebunt et ii, qui conspiciunt illud. *Ibid.*

## AXIOMATA.

Qualis Rex, talis grex.

Qualis est Rector civitatis, tales et habitantes in ea. *ECCL.* x, 2.

Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios. *PROV.* xix, 13.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Per sancta et pia exempla, Deo parantur gratissima templa.

Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.

Optimus orator, qui factis suadet.

## AUCTORES.

Joannes Buseus, *in Panario*, V. Exemplum malum.

Gregorius Stengelius, in toto libro inscripto: *Vis et virtus Exemplorum.*

Ludovivus Granatensis, *in Locis Communibus*, f. 337.

Nicolaus Lancizius, opusc. 13, c. iv.

Josephus Langius, *in Polyant.* V, eodem.

Thomas Stapletonus, text. 2. *Dom.* 13, et t. 8. *Dom.* 20, post *Pent.* Item, t. *Dom.* 6, post *Epipl.*

Laurentius Beirlinck, text. 3, *in Festo Epipl.* et t. 2, *in Festo Nativit. Dom.*

## FAMA

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inveterata in hominum mentibus de quopiam opinio. Unde aliqui a fando dictam putant. Differt autem a rumore, quod hic de facto adhuc recenti exoritur, non item fama.

DIVISIO. — Dividi in *bonam* et *malam*. Illa est, quae ex laudabilibus factis oritur; hæc, quae ex malis facinoribus generatur, qualis erat filiorum Heli, de qua ipse dicebat: Nolite, filii mei; non enim est bona fama, quam audio.

## EX S. SCRIPTURA.

NECESSITAS. — Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et laqueum diaboli. *I TIM.* iii, 7.

Charissimi, obsecro vos, tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideris, quæ militant adversus ani-